

**De medicorum historia scribenda epistola ad V. Cl. Georg. Hier. Velschium
... / [Heinrich Meibom].**

Contributors

Meibom, Heinrich, 1638-1700
Welsch, Georg Hieronymus, 1624-1677

Publication/Creation

Helmestadii : Typis Henningi Mulleri, 1669.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yqurca9q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ST
HENRICI MEIBOMII
DE
MEDICORUM
HISTORIA SCRIBENDA
EPISTOLA

AD
V. CL.
GEORG. HIER. VELSCHIVM
Medicum Augustanum & Polyhistorum.



HELMESTADII,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.
Anno MDCLXIX.



V. CL.

GEORG. HIERON. VELSCHIO

Medicinæ Doctore celeberrimo

HENRICVS MEIBOMIVS

S. P. D.

Equidem non sine singulari gaudio in memoriam redeo illius temporis, quo ante hos septem annos primus mihi ad tuam, Vir præstantissime, amicitiam patuit aditus. Innotueras pridem erudito orbi, mihiq̃ue raræ eruditionis de *Ægagropilis* commentario, ideoq̃ue in meo per AVGVSTAM vestram urbem transitu nihil magis desiderabam, quàm coràm intueri & salutare eum, quem in scriptis hætenus fueram veneratus. Excepisti autem me non tantum summa humanitate, sed eadem etiam abeuntem comitatus es, literasque in Italiam dedisti, quibus amicitia inter me & Cl. Virum *Carolus Offredum* contrahendæ pararius fuisti. Non fuisse autem illius brevi temporis spatio coalitæ amicitia lubricam apud te memoriam, vel inde patuit, quod nuper in doctissima in *Syllogen observationum* tuarum præfatione non meministi tantum mei, sed & invidendo elogio, quod ipsum affectui imputo, ornasti. Non reddam par pari, ne, novo nunc iterum beneficio obstrictus, adulari velle, & hic tui laudandi captasse occasionem cuiquam videar. Cum præsertim scripta tua ubique ostendant, non tantum, quantum in Arte nostra exquisita eruditione & multo usu profeceris, sed quam variam præ-

terea omnis bonæ doctrinæ tibi comparaveris suppelle-
tillem, plurimumque linguarum, Orientalium, Græcæ, Latinæ,
earumque, quæ hodie politioribus usui sunt & ornamento,
Italica, Gallica, Hispanica peritia sis instructissimus. Cum
autem eopse in loco Commentarii Parentis mei, *Ἐπιτομὴ*,
JOHANNIS HENRICI MEIBOMII de Vitis Me-
dicorum feceris mentionem, eumque à te desiderari non
obscure significaveris, inde nata occasione hanc ad te Epi-
stolam exarare volui, qua & illius institutum omne, & mo-
dum scribendi, & quid hætenus editionem remoratum, in-
dicarem, simulque tuas opes ad locupletandum id scriptum
solicitem.

Non dicam apud te, quantæ utilitatis sit istæc Vitarum
descriptio, cum vel maxime tibi placeat: nec recensebo plu-
ribus notissimos tibi, qui istac opera demereri publicum vo-
luerunt. Vetus enim est, describere Vitas virorum celebrium,
qui vel meritorum magnitudine, vel commentationum
doctarum monumentis famam nominis ad posteros transmi-
sere: tum in singulis disciplinis catalogum & Indicem ador-
nare, qui & nomina eorum, qui in emolumentum scientiæ
quid contulerunt, in se contineat, & quæ aut qualia illa fue-
rint, uno quasi intuitu exhibeat. Qui vitas vel plurium vel
anius digesserint, infiniti olim fuere, & sunt hodie etiam-
num non pauci. Inter illos, quamvis ex veteribus Græcis
recenseantur, *Satyrus, Amphicrates, Demetrius Byzantinus, Dio-
cles, Lysanias, Megacles, Nicias, Socrates, Sosicrates, Aristoxe-
mus Musicus, Theophrastus, Dicaarchus, Antigonus Carystius,
Hermippus Peripateticus, Apollodorus, Phantias Peripateticus, Porphy-
rius*, pluresque alii: vetustatem tamen tantum pertulerunt
*Diogenes Laertius, Plutarchus, Eunapius, Hesychius, Philostratus,
Photius Patriarcha*: è Latinis *Cicero, Cornelius Nepos, Svetonius,
& Aurelius Victor*, & his recentiores *D. Hieronymus* (qui in præf.
in lib. de script. Ecclesiast. non paucos enumerat) *Gennadius,*
Honorius

Honorius, Isidorus Hispalensis, Sigebertus Gemblacensis &c. Illorum, qui Catalogum saltem aut Indicem auctorum, ac quæ & qualia in singulis disciplinis quisque fuerit commentatus, pauciores extitere, non tamen nulli, qui confecerint. Iustinianus Imperator *ICtorum Indicem* nobis exhibuit, quo & nomina ipsorum & numerum librorum conditorum in vestibulo Iuris sui nobis ostentat. *Indicis Philosophorum* pridem meminit Cicero in oratore: *In philosophos vestros*, inquit, *si quando incidi deceptus Indicibus librorum, quod sunt ferè inscripti de rebus novis &c.* Meminit & Seneca, atque ita meminit, ut Indices illos incitamento nobis esse credat ad illos imitandum & simile quid conandum, quorum nomina & scripta ob oculos nobis ponuntur. Meminit & Quintilianus, & Svetonius de Illustr. Gramm. & Galenus comm. in Hipp. libr. de Artic. Athenæus non uno loco Callimachum citat ἐν τῷ παντοδαπῶν συγγεγραμμάτων πινυσι: in indice omnigenum scriptorum. Ejusdem πινυσι & five indicis meminit Laertius, & Suidas, & Auctor Etymologici in πινυσι.

Horum omnium laudabile studium imitatus Parens meus *Historiam Medicam* five *de Medicis & rei Medicæ scriptoribus syntagma* conscripsit. Aliorum quidem vitas, aut particulam vitæ, aliorum tantum catalogum aut scriptorum indicem, quorundam ferè solum exhibet nomen, neminem facile data opera præteriens, quem aliquando in rerum natura fuisse lectione percepisset. Ex Philosophis quoque multi in hoc Medicorum catalogo comparent, quod nemo mirabitur. Nam & Philosophia Democrito ἀδελφὴ καὶ σύννομος, Tertulliano *soror Medicina* dicitur, aliis *Medicina Philosophiæ filia* audit, sed *nata ante matrem*: veteresque Philosophi plurimi simul fuerunt Medici, si non opere, saltem cognitione. Non tamen temerè Philosophorum quenquam Medicis annumeravit, quem non testimonio aliquo antiquitatis Medicinæ deditum aut peritum fuisse, aut ad Medicinam quid perti-

mens scripſiſſe ſimul oſtendit. Ita & non paucos Heroum priſco-
rum & Regum affert, penes quos Medicina antiquitus erat,
quorum tamen æquè inter Medicos comparere neminem juſ-
ſit, quem non antiquitatis teſtimonio Artis cultorem, ſi non
factorem, monſtravit. Neque tamen omnes æquè magni no-
minis ſunt, quos producit, Medicos, ſed nonnulli minorum
gentium. In quo ipſa varietas legentem delectabit: ceu in
cænis grandibus ſæpe facimus, ut cum optimis cibis ſatiati
ſumus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata ſit. Ne Me-
dicos quidem mali commatis, à Græcis Latinisquæ Poëtis
in fabulis convitiis proſciſſos in hoc Medicorum catalogo
omiſit. Omnes enim in theatrum producendi erant, nullo
diſcrimine, boni malive eſſent, ut de utriſque juxta ſe poſi-
tis rectius judicium facereliceret Artis candidato, atque ut

Inſpicere tanquam in ſpeculum in vitas omnium

Poſſet, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi:

Hoc facere, hoc fugere, hoc laudi, hoc vitia ſciret dari.

Quod ſi quis pleroſquæ eorum à Poëtis fictos, iſtiſquæ nomi-
nibus forte in natura rerum non fuiſſe contendat, cum eo
non litigaverim: fuiſſe tamen aliquando, quos ſub falſis iſtis
fictitiisquæ nominibus traducere atque exagitare ipſis libue-
rit, vix aliquis negatum iverit. Solenne enim hoc olim
multis erat, non eos tantum, quos amabant, ſub effictis no-
minibus laudare, ſed & quos culpaturi erant, ſub alienis no-
minibus diſſerre, & parcendo perſonis dicere de vitiis. Apu-
leio objectum legimus in judicio, quod Charinum & Cri-
tiam appellitaret in verſibus, qui aliis nominibus vocaren-
tur. Is reſpondet: *Eadem opera accuſent C. Catullum, quod*
Leſbiam pro Clodia nominarit, quod, quæ Metella erat, Perillam
ſcripſerit: & Propertium, qui Cynthium dicat, Hoſtium diſſimulet:
& Tibullum, quod ei ſit Plantia in animo, Delia in verſu. Addit,
eodem modo Virgilium, cum puerum amici ſui Pollionis
laudaret, abſtinentem nominum ſe quidem Corydonem,
puerum

puerum vero Alexin vocasse. Idem & in Medicis istis à Poë-
tis factum credere licet. Ex Chemicis quidem omnes illos
recensere, quos Lapidis sui possessores & inquisitores nomi-
nant, religio Parenti fuit. Quis enim omnes illos, qui vel
folis nominibus, iisque vel nullius linguæ, vel barbaris, vel
fictis incauto vulgo obtrudi solent, & nominari, citra nau-
seam recenseret? Sunt ex iis *Astrucanus, Agadimon, Arastratus,*
Ardanus, Aristenes, Arloch, Ascanus, Assates, Astratus, Attamenus,
Bacacer, Balgus, Barcenites, Bollas, Bodillus, Borates, Cadmon, Ce-
rus, Chambar, Cramus, Custos, Dardanus, Dardaris, Dausius, Dia-
medes, Emiganus, Eximenus, Eximidius, Glossarius, Hecyla, Hena sa-
piens, Hyargus, Locastes, Mandinus, Menabadus, Marfolaus, Mo-
sius, Napbitus, Obsemegamus, Orphatus, Pizbea, Rarson, Scitas, Zen-
mon, Zimon. Atque hi, quibus recensendis animo aliquis
linqui possit, adducuntur ab *Auctore Turbæ Philosophorum, Au-*
ctore Pandora, Auctore splendoris solis, & id genus tenebrioni-
bus, & minorum gentium scriptorculis, ipsis æquè obscuris,
ac sunt illi, quos Arti suæ lucem putant allucere, eamque il-
lustratum ire. Ob talium certè omissionem nemo facile
succenserebit Parenti meo, nisi qui sit de genere horum.

Gessit autem eo ferè se modo Parens in enarrandis Me-
dicis, quo in Historicis Græcis, Latinisque, aliisque scripto-
ribus Vir summus *Gerhardus Iohannes Vossius.* Initio Introdu-
ctionem quandam præmisit, in qua & de vasto Medicinæ am-
bitu, & de Medicorum Sectis Ordinibusque ex Antiquitate
omni pluribus agit. Dein libro Primo eos, qui ab Orbe Con-
dito ad usque Urbem Conditam: Secundo, qui ab Urbe Con-
dita usque ad natum Christum: Tertio qui à nato Christo
usque ad seculi decimi quinti medium vixerunt: Quarto de-
nique omnes, quorum incerto ætas est, ordine Alphabe-
tico enumerat. Quod si enim cui libeat illos quoque, qui
post annum reparate salutis MCCCCL fuerunt Medici,
colligere & in Theatrum producere,

*Ille pulveris Erythræi
Siderumq; micantium
Subducatur numerum prius,
quàm omnes nobis listat.*

Posset autem quis putare; actum egisse Parentem meum, cum jam tum non pauci egregii Viri isti operæ vacaverint. Nemo enim harum rerum curiosus temerè ignorat, simile quid conatos *Ottomem Brunfelsium, Symphorianum Champegium, Robertum Constantinum, Israelem Spachium, Paschalem Gallum, Iohannem Schenckium, Petrum Castellannum, VVolfgangum Iustum, Ioannem Neandrum, Ioannem Antonidem Vander Linden.* Verum de prioribus tribus nihil dicam, quos diligenter licet inquisitos fortuna in manus Parentis pervenire noluit. Quid *VVolfgangus Iustus*, quid *Iohannes Neander*, ille in *Chronologia Medica*, hic in *Natalitii Medicinæ* præstiterint, ex iis liquidum erit, quæ à Parente subinde notabuntur, uterque alioquin laude sua non defraudandus. *Petrus Castellanus* non male, nec indoctè rem exorsus est, sed in paucissimis substitit. Quæ summus Vir *Iob. Gerb. Vossius* de Medicis congeffit libro de *Philosophia* posthumo capp. xi. xii. xiii. xiv. utut egregia, pauca tamen etiam sunt. Reliqui utilem quidem operam præstiterunt, sed aliud spectarunt, atque iis tantum labore suo inservire voluerunt, qui nomina Auctorum & scripta, ac quoties quibusque in locis ea typis excusa, aut recusa fuerint, nosse desiderant. Ut idcirco hoc seculo præclari quidam & publico bono nati Viri eam ad se curam adhuc pertinere judicaverint. Inter quos primo loco poni meretur *Thomas Reinesius*. Cum illi institutum Parentis mei per litteras significasset Vir longè doctissimus, amicus noster, *Iohannes Vorstius*, ita respondit Reinesius anno 1653. Cl. *Meibomii* πονηρία si miseris, immane quantum me tibi devinxis. Video eum colere secretiores litteras, esseq; & πονηρὸν ὄνυσ' εἶναι. *Veterum Medicorum historiam* post *Brunfelsium, Champegium, Squarcialupum, Fuchsium,*

Fuchsium, Castellatum, qui hoc seculo scripsit, & Medicarum Bibliothecarum compilatores, digerere & ipse tentavi. Negligenter enim eam partem eruditionis tractarunt, quique manum admovent. E Celsi, Plinii, Galeni, Celii Aureliani, Aetii Oribasii scriptis multos erui, nemini observatos. Joh. Jonsius, vir eruditus, l. 2. de script. hist. Philos. cap. 8. cum de scriptoribus quibusdam Medicis egisset: Sed hac potius, inquit, iis relinquenda sunt, qui priscorum Medicorum Historiam tradunt, quam Joh. Henr. Merbomius sub manibus habuit, sed morte præceptus imperfectam aliis reliquit. Reinesium quoque, Germanorum in hoc litterarum genere doctissimum, eandem meditari ex fide dignis cognovi: qui quanto eruditius & solidius eandem præ multis aliis tradere potest, tanto majore cura quoque elaboratam eam propediem publicandam curaturum esse, desiderioque plurimum satisfacturum, certo sumus persuasi. In quo quidem de Reinesio iudicio planè ὁμολογῶ Jonsio sum: sed nunc quidem incomparabilis ille Vir tot operibus orbi erudito adhuc promissis immortuus est, nec quid de Historia Medica sperandum sit, mihi constat. Superest vero adhuc, & exornat nostræ vigloriam Aegidius Menagius qui publico dudum promisit Medicorum Historiam, eamque brevi edendam jam ante hos sex annos præsentī mihi spem fecit, quamvis nec dum prodierit. Illum verò huic operæ parem esse facile intelligit, qui variam illius lectionem, excellens ingenium, subactumque in talibus iudicium vel ex novissimis in Diogenem Laertium notis perspexerit. In eadem Parisiensi Urbe Philippus Labbeus, propter varia ad rem librariam bibliothecariamque pertinentia egregia scripta, quæ dudum publicavit, celeberrimus ante hoc sexennium præsentī fidem fecit, Medicorum historiam à se dudum congestam esse & aliquando publicandam. Verum nec illa hætenus prodiit, quamvis dudum ἀποασμάτιον aliquod de Vita Galeni ediderit, unde ejus in his rebus eruditionem colligere licet. Quomodo Cl. Vir Petrus Lambecius vastæ suæ Historiæ Literariæ Medicorum

B

quoque

quoque inferere voluerit, ex Prodromo patet: verum eam quidem non tam cito absolutam iripersvasi sumus, cum praefertim alios de Bibliotheca Vindobonensi labores nunc illi sub manibus esse intelligam. *Hermannus Conringius* noster, ὁ παῖς, uti non pauca ad omnem historiam rei literariae vitasque eruditorum pertinentia congescit, ita de Medicis longè plurima egregiè observavit, ut cuivis ex variis ejus scriptis, ubi παρέρως talia tractat, apparet. Seorsim tamen de Medicis aliquid edere, cum à Parente occupatum laborem sciret, noluit, neque nunc aliae ipsius curae, ut id agat, permittunt.

Quamvis autem non inviderem, si alius aliquis, Vir eruditus, ex hoc mustaceo laureolam quæreretur, imò jam tum edita illa *CLL*. Virorum modo memorata scripta optarem, auctim tamen etiam de Parentis mei opere seculo nostro aliquid polliceri, ejusque publicationem brevi promittere: cur tamen hæcenus nondum prodierit, jam causas dicam. Equidem quadraginta jam & quod excurrit anni sunt, ex quo primum Parens meus illi operæ manum admovit, sed lente admodum procescit negotium. Obstabant enim in ampla & populosa urbe *Lubeca*, ubi sedem fixerat, ex multitudine decumbentium occupationes quotidianæ. Horatiana illa huc accommodare licet:

*Hic visum vocat, hic auditum tristia, speris
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Trans Tiberim longè cubat hic prope Caesaris hortos,
Ille extremo in Aventina, visendus uterq.*

Neque id una aut altera die: sed cottidie volvebatur hic Rhombus, & redibat labor actus in orbem. Ut proinde his talibus nullum aliud, nec plus temporis impendere potuerit, quàm quod ægrotantibus suffurari, & ad lucernam demetiri licuit. Quamvis his ipsis laboribus difficultates & tædia in Medicina facienda subnata non parum levaret, seque iis quodammodo restauraret: / ceu solent athletæ remissa quibusdam

busdam temporibus ciborum atque exercitiorum certa necessitate otio & jucundioribus epulis refici. Non parum vero etiam turbabant morbi, & dolores arthritici, quibuscum quotannis ei conflictandum erat, qui tamen ipsi aliquando, quod domo egredi prohiberent, tempus commodum his studiis suppeditabant. Præterea vivebat in loco, ubi pauca ex aliorum bibliothecis subsidia habebat, propriâque ferè contentus esse cogebatur, unde in multis locis non poterat non hære. Accedebat operis ipsius varietas, difficultasque.

*Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes:
Successu labor arduus,
Nec tractabile pondus est.*

His de causis abjicere sæpe opus, & tenebris damnare voluit, fecissetque etiam, nisi resistentem incitassent Viri magni & hujus rei intelligentes, &, ut fidem exsolveret, præstaretque, quod promississet, monuissent. Inter quos præcipui fuerunt, nunquam sine præfatione honoris nominandi, *Hugo Grotius, Claudius Salmasius, Hermannus Conringius, Caspar Hoffmannus.* Perrexit igitur in materia diffusa & multis obscuritatibus involuta, & ferè absolvit, quatuor, ceu supra memoravi, libris. Et, quamvis non ignoraret, multos scriptores diligentiam suam effugisse, tamen solabatur se illo *Columellæ: In magna sylva boni venatoris est indaganter feras complures capere, nec cuiquam culpa est, non omnes cepisse.* Ideoque si unum tantum aut alterum annum fata vitam prorogassent, ipse edidisset, erat enim in recensendo opere quotidie occupatus. Cum vero anno quinquagesimo quinto hujus seculi curis, laboribus, morbisque confectus moreretur, mihi unico hæredi masculo cedere id opus voluit, ea lege, ut maturæ ætate maturoque aliquando judicio recenserem, recensitumque publicarem: ego verò tum sextum tantum & de-

cimum annum compleveram. Noverat enim, opus illud ultimam manum adhuc desiderare, & extare non paucis in locis lacunas, propter defectum potissimum librorum natas, quas suppleri aliquando à me volebat. Ego vero nihil prius habui, quam, ut, quod pietas ipsa requirebat, illi Parentis voluntati, & eruditi orbis expectationi satisfacerem: ideoque de illo supplendo augendoque nunquam non cogitavi. Et vero ausim dicere, non paenitenda quædam interea à me observata esse, præsertim, dum primarias Europæ bibliothecas lustrare contigit, quæ exornando operi, imo emendando esse possint. Quin & illud constat, intra hos quatuordecim à Parentis obitu annos non paucos etiam publicis typis excusos esse libros, unde augeri hæc historia possit. De uno tamen hic imprimis apud te conqueri cogor, eruditissime Vir. Nullibi magis defecit Parens, quam in Arabum Medicorum historia contexenda, quorum tamen numerus longe est maximus, quique si defuerint, minus perfectum quis opus hoc non immerito dicat. Qui enim in illa operæ aliquod prærium facere voluerit, & exactam Arabicæ linguæ notitiam habere debet, & cum ipsorum Medicorum Arabum, tum illorum librorum copiam, qui de Vitis Arabum Philosophorum & Medicorum in Bibliothecis extare memorantur. Ab utraque autem destitutum Parentem meum libens fateor: qui igitur ita suffenus sim, ut lapsus ab eo caveri potuisse putem. Sollicitavit per literas multos præclaros Viros, ut subsidia sibi mitterent, sed partim inanibus promissis lactatus, partim sine spe dimissus est. Quæ ad hanc rem in sola Bibliotheca Lugduno-Batava extent adnacula à CLL. Viris *Erpenio Golioq.*, notissimum tibi est, omnia tamen hæcenus inedita sunt. Existimant eruditi superesse ibi etiam *Ben Casen* illum, qui doctissimorum Arabum historiam scripsisse memoratur à Gabriele & Johanne Maronitis ad Geographiam Nubiensem. Sanè Auctor qui ibi extat, *Ibn Abiobsei*.

Abiobseibea, aliàs *Elaigbas Ahmed ben Casen* plurima proponit, si titulus nos non fallit: non Medicos tantum Græcos, Hippocratis discipulos, Galeno posteriores, Alexandrinos (quorum forte historia aliunde haberi posset) sed ex Arabibus eos, qui à tempore manifestati Islamismi quique initio imperii Abassidarum celebres fuerunt, quique libros Medicos, aliosque ex lingua Græca in Arabicam transtulerunt: quibus denique Babyloniorum, Barbarorum, Indorum, Afrorum, Egyptiorum, Syrorum Medicos subjunxit. Et verò meminisse me cum Lugduni Batavorum ante plures annos viverem, Viro longè celeberrimo *Iacobo Golio* non tantum de his thesauris publicandis vellicare aurem, sed & rogare, ut si quæ singularia de Medicis Arabibus legisset, annotassetque, ea communicare mecum vellet, suis à me locis cum præfatione debiti honoris inserenda. Verum me præsentem quidem interpromissares stetit, nec quicquam impetrare potui: nunc vero propter optimi viri obitum, inde sperare nihil licet. *Andreas Alpagus*, vir doctus, præf. Interpretæ nom. Arabicor. Avicennæ Medicorum & Philosophorum Arabum Historiam Latine se transtulisse scribit: verum cujus illa fuerit, & quo pervenerit, juxta cum ignarissimis scio. Editam esse non arbitror.

Solius *Iohannis Leonis*, cujus Historia Africana extat, de ea rescriptum habemus. Equidem dici non potest, quanto illius desiderio flagraverim, ex quo & ab ipso in Historia Arabica memorari & Excerpta ejus quædam à Gerh. Joh. Vossio libro de Philosophia adduci observavi. Tandem indicio Cl. Joh. Rhodii ad Scribonium Largum in Illustri Medicea Bibliotheca extare deprehendi. Cum vero ante plures annos Florentiæ per menses aliquot hærerem, doctissimorumque illic virorum, nobilitate incertum generis an virtute & eruditione præstantium magis, *Caroli Dati*, *Cavalcanti*, *Redii*, *Giraldi*, *Strozzi*, *Mallabeci* conversatione fruerer, non tantum mox ad ipsam Bibliothecam liberrimus patuit aditus, sed & Leonis Historia

describenda mihi oblata est, quam cum MSto Codice diligenter contuli. Extat ille Pluteo xxxvi. habenturq; in eopse Codice quidam Orphei & Procli Hymni soluta oratione, &, præter hanc clarorum virorum historiam, ejusdem Leonis quædam de *Arte Medica Arabum*, ejusque inventore *Elchalil*. In ipsa historia præter viginti octo Arabas, quibus totidem capita destinantur, quinque quoque Hebræi, viri præclari, describuntur. In quatuor autem capitibus quædam desiderantur in 22. & 25. defectus tantum aliquis est, 23. autem & 24. planè deest. Unde autem suppleri hic defectus possit, non video, cum, quod equidem sciam, non extet alibi exemplar, quod non ex Florentino Codice descriptum sit. Nam & quæ Vossius excerpta habet, hinc sine dubio deprompta. Florentinum quidem ex Archetypo descriptum esse, in calce libelli memoratur, ubi autem illud archetypum extet, non dixerim. Translationem ex Arabico esse satis patet, siue Auctior ipse transulerit, siue alius quis, quomodo Arabia ejusdem Leonis Arabicè conscripta non ab ipso in linguam Latinam, sed à Johanne Floriano translata est. Quod autem Arabicum ipsum alicubi supersit, non constat, nisi forte in Vaticana Bibliotheca lateat, inibi repositum à Leone X. Pontifice, qui patronus illius fuit, nomenque Christiano facto de suis dedit. Ante paucos annos hunc librum edidit CL. *Hottingerus*, & Biblioth. L. 2. p. 426. inseruit, ut ita ab omnibus jam legi possit. Scribit sibi ab Amico ex Italia oblatum, nec quicquam præterea addit, ego vero certus sum, ex eopse, quem dixi, Codice Florentino depromptum ad eum missum esse. Non pænitet autem, ne nunc quidem post factam ab Hottingero publicationem, impensæ in describendo operæ. Nonnulla enim ab illo descriptore omissa sunt, quæ in MSto habentur, quædam quidem non magni adeo momenti, alibi tamen non parvam in annorum notatione variationem deprehendi. Verum enim vero, quamvis multa egregia nos doceat hic *Iohannes Leo*,
per

per illius tamen scriptum omnes scrupulos sublato nemo
dicere audebit. Quin in iis præterea, qui in Arabum scriptis
citantur non parva difficultas occurrit, dum interpretes minus
rectè nomina propria, alii etiam aliter, Latinè reddunt, aut
Latinas terminationes in fine addunt. Recurri utique de-
beret ad fontes, qui in Bibliothecis Illustribus habentur, sed
illi quidem consuli nisi à peritia linguæ instructo non pos-
sunt. Ea verò nec mihi adest, nec Parenti, ut jam tum antea
falsus sum, fuit. In quibusdam conjectura aliquid licet ad-
sequere. Ita *Arcigenesi* & *Artigenesi* à Rhase citatus l. v. con-
tinent. c. i. & *Arcaganis* c. iii. item *Arcagenisus* l. vi. c. i. non
tantum unus idemque sunt, sed & nullus alius, quam *Archige-
nes*, sæpius à Galeno, & ex hoc Arabibus adductus. *Arabasius* &
Urbasius ibidem loci, quis alius est, quam *Oribasius*? *Ancili-
sius*, *Antilisius*, *Antiles* vel *Antilis* apud eundem Rhasin l. ii.
c. v. c. vi. est *Antyllus*. *Abolonisin* l. iii. c. vii. interpretor *Apollo-
nium*. *Filogorus* & *Filogorifius* forte est *Philagrius*: *Baladius*, *Pal-
ladius*. Qualia monstrasse studiose notasse, & in scenam ali-
quando produci promisit Reinesius. In aliis conjectu-
ra fallit. Quorundam verò Arabum nomina sono sibi invi-
cem tam sunt vicina, ut unus pluresve iis significantur, diju-
dicari nequeat. Ex his difficultatibus, Vir πολυγλωττωτα, si
me expediveris, rem præclaram feceris. Non dubito, quin
longè plurimam circa Arabes Medicos observaveris, cumque
ingenio & iudicio polleas, & linguæ peritia sis instructus, nec
desint scripta ipsa, multa aliis rectius docere nos possis. Quæ
si communicare aliquando volueris, ut appendicis loco, aut
quomodocunque placeat, Syntagmati Parentis mei acce-
dant, non publicum tantum plurimum, sed me imprimis tibi
devincies. Stat enim jam sententia, maturare quantum licet
editionem. Vrgent me quotidie docti Viri, nec ferè ex Gal-
lia à magno illo Medico & Polyhistore *Guidone Patino* litteras
accipio, quin de Historia Medica me moneat. Quod vero nec
dum

dum prodierit, antehac quidem vita mea defultoria, peregrinationibus magnam partem peracta, in causa fuit, dein vero, postquam Professionem Medicam in hac Academia Julia suscepi, difficiles inter initia & continui labores; dum Auditorum profectus maxima merito nobis habenda est ratio, operaque danda, ut non tam benè scripsisse libri, quàm benè docuisse discipuli testentur. Anatomica præsertim, quæ à me nunc tractantur, studia vel sola, experimentorum & novarum observationum varietate, longè plurimum temporis sibi poscunt.

Interim, dum hæc mihi curæ sunt, non possum non, Clarissime Vir, tuum quoque Institutum laudare; utque ingens illud, Artique Medicæ maximè profuturum volumen, quod promittis, absolvere possis, vitam longam viresque integras apprecor. Si juvare alicubi te à me posse putaveris, nunquam decero, qui juxta tecum publico bono studia mea devovi. Sunt & penes me non contemnenda quædam præstantium Medicorum scripta, Consilia, Observationes &c. quæ omnia publicari non prohibebo (αὐτὸς ὁντας εὖ καὶ δεῖ μὲν ὅτινις ἴδωται) ut Thesaurus Experientiæ Medicæ, ultima pars magni operis tui, vel illa levicula accessione augmentetur. Quàm enim de hujus rei utilitate tibi consentiam, velex illa Epistola mea pater, quam ante hos quatuor annos ad C. L. *Hermannum Conerdingium* scriptam Bootii Observationibus à me editis præmisi. Sed non moror te nunc diutius, Vir præstantissime. Vale igitur, & affectum tuum porro integrum mihi serva. Ego, quem certa opinione doctrinæ & virtutis æstimare cæpi, colere non desinam, quamdiu & huic & illi pretium ponere scivero. Dabam Helmæstadii in Academia Julia iv. Kalend. Februar. Anno MDC LIX.